ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO

Habita in eiuſdem templo

AD EMINENTISSIMOS

S.R.E. CARDINALES

A MARCO ANTONIO DE RVBEIS

Seminarij Romani Clerico.



ROMAE, Typis Ignatij de Lazaris. M.DCLXXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Eminentiſſimo Principi

COELIO PICCOLOMINEO S. R. E. CARD. AMPLISSIMO ARCHIEPISCOPO SENENSI



MARCVS ANTONIVS DE RVBEIS. F.




RATIO hæc de comparata per priuatas ærumnas ſanctiſsimi Viri Iuonis publica felicitate iure ſuo Tuum ſibi vindicat patrocinium, Eminentiſsime Princeps, cuius familiæ commiſſa cura videtur fortunæ Mortalium. Vt vt enim reliqui taceantur Maiores Tui, quorum vel conſilio, vel manu, vel opibus, vel etiam ſanguinis impendio ſtetit ſæpenumero Catholicæ Reipublicæ ſecuritas, & ſalus, fama ſua ſatis,

& admiratione nomina se produnt duo Ro-
mani Pontifices quorum imperio comprobatum est non peregrinam tantum in Terris haberi posse, sed etiam hospitam felicitatem. Hæc tamen diuina virtus, quam suspicimus in Gentilibus Tuis, in Te transfusa nescio quid accepisse videtur dignitatis, & pretij; adeò emines in præsentia; & eminentiorem in posterum futurum augurari licet. Accipe igitur rectà ad Te venientem exilem hanc laudationem, & quam lucem suis à natalibus non habet, Tui nominis claritate impertire: hoc enim estmagnorum Principum, & Diuinitatem æmulantium facere, dum accipere videntur beneficia. Vale.

ORATIO.





RETIO ærumnarumpublicam mercari felicitatem aut diuinorum hominum opus eſt, aut vnius Diuinitatis. Mortalium ſiquidem quiſque propriæ facultatis auariſsimus vel metu ne locupletando alios ipſe indigeat, vel conſilio neminus felix videatur cæteris fortunatis; cum nulla ſit humana felicitas niſi collata miſeriæ, priuatis tantummodo rationibus incubat; nec raró vnius fortuna conflatur infortunio plurimorum. Mortalitatem induti Dei fuit, eiuſque diuinam virtutem æmulantium ditare alios inopia ſui. Videbor igitur fortaſſe in hac anniuerſaria ſanctiſsimi Viri Iuonis laudatione impar orator non impari vſum argumento orationis, ſi oſtendero tam propè ad Deum acceſſiſſe Iuonem, quam à ſe, hoc eſt ingenita beandi ſui auiditate receſsit, dum per priuatas ærumnas conatus eſt publicæ artifex eſſe felicitatis. Materni ſinus clauſtro diuinæ beneficentiæ proluſit Iuo, cum ſiquidem Genitrix paritura viſa ſibi per quietem eſt Gigantem eniti certiſſimo præſagio naſcituri Herois, qui numeroſa pullulantium malo-

rum

rum capita Alcide fortior, & induſtrior Iuſtitiæ gladio reſecaret, & extingueret incendio charitatis. Nec abfuit ſomnio veritas. Vix enim Pauperum cauſas agere cœpit, cum incidit in odia Principum, multiplex malum, & cui nonniſi à malo peiore remedium; vel enim contemnis, & ex contemptu fit ira grauior, vel flectis, & ex obſequio flecti neceſſe eſt animi æquitatem. Quid igitur conſilij cœpiſſe putatis fortiſſimum egentium defenſorem? Contempſit, cum flectere non potuit ſinè iactura conſtantiæ, ratus hanc vnam demum expectandam mercedem ex calamitoſorum patrocinio, calamitatem. Sed parum fuit illatis occurrere iniurijs, vltrò ipſe ſibi eſt factus iniurius, cum rem domeſticam omnem, quæ abundè ſuppetebat in patrimonium Pauperum addixit, ampliſſimæ fortunæ adſcribens poſſe facere alios ſua egeſtate fortunatos. Confluebant ad eum Inopum greges, quos in propinquos, in conſanguineos, in filios adoptauerat, & qui ſingulorum commodis conſulebat, incommodis omnium onerabatur. Sortis acerbiores iniuriæ ſub tanto Patrono erant Clientium vota, quo enim vulnus atrocius, eo præſentius adhibebat Ino remedium? ſupplices excipiens libellos, breues nimirum miſeriarum hiſtorias lacrymis imbuebat, et ſubire precantium fortunā videbatur, non audire; nec rarò Inopis ſpeciem præferebat magis qui exorabatur, quam qui exorabat. Neque vero arbitremini vno tantum, aut altero hominum ordine eius definitam fuiſſe beneficentiam, circumſcribi charitas non poteſt, quæ diuinæ ſimilis terminum neſcit, & modum. Quæ fuit periclitantis pudicitiæ Virgo, cuius non redemerit, quo corrumpi ſolet, auro Innocentiam? Quis impeditus ære alieno magis, quam ferreis vinculis, quem profuſiſſima liberalitate non eduxerit in

liber-


libertatem? Quis ſplendida fortuna Vir nobilis deiectus, cui non ſuppeditauerit ea induſtria, & alacritate pecuniam, vt videretur accipere, non facere beneficium Sed quid ego quaſi per ſingula pergo Iuonianæ miracula beneficentiæ, quaſi narrantem fatigare non poſſint, quæ perpetrantem non fatigauerunt? Intendite igitur mentem veſtram. A. & per luſtrate vrbes, oppida, vicos, quos pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes diuini amoris acerrimus Aemulator. Suſpicietis vbique ſpargentem ſemina felicitatis Iuonem, & deficientibus vel opibus vel viribus, vel ipſamet vita voluntarijs poenis attrita, ne fortuna Pauperum atteratur, non tamen deficientem charitatem, quæ cum cætera omnia deſint in ſubſidia Egenorum, ne deſit quidquam, iſpum fatigabit ſæpenumero Deum. Vos teſtes horrea exhauſta, & ad beneficentiſſimi Viri preces prodigioſo frumento cumulata; enecti propè fame, & ſeptem ſolummodo panibus refecti homines omninò ducenti; vacuæ arcæ, & ſubita vi pecuniarum locupletatæ; ignes potentiori amoris incendio reſtincti fluuij Ieſſea virga felicius diuiſi, vno verbo res omnes Iuonis imperio coactæ Pauperum ſeruire felicitati. O inauditam. & ſupra mortalium audaciam notorum, beneficentiam! O feliciſsimè expreſſam in Terris verſantis Dei charitatem! Inuidia digna videretur aurea hæc Inopum ſub Iuone ætas, ni noſtra etiam ſuos haberent redivivos tempora Iuones; Vos nimirum quicumque hic adeſtis Romanæ Aulæ clariſsima lumina, qui vobis ſanctiſsimum hunc Pauperum Patronum, & Patrem incitamento Clementiæ regnatricis non tam laudibus ornandum, quam moribus exprimendum propoſuiſtis: diuturnis enim experimentis comprobatum eſt vnicum veſtrum votum, & ſtudium eſse publicam Populorũ felicitatẽ.



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magist. Sac. Palat. Apostol.

Ioan. de Angelis Archiepisc. Vrb. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palat. Apostol. Magist.

